




BIBLIOTEKA


Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII 1,097









BREVE 150
ENCOMION 5
Reuerendissimi Domini,
DOMINI THOMÆ
OBORSKI 144.

I. V. D.


*Suffraganei, Canonici, et Officialis Generalis Craco:
Episcopi Laodicensis, recens inaugurati.*

T.

S.

O.

E.



O.

C.

C.

L.

4.099

Crac: Typis Basilij Skalski, Anno D. 1615.

B R E V E

F R A N C O M O N A C H I A

D O M I N I T H O M A

O B O R S K I



XVII - 1097 - III

NOVO ANTISTITI
THOMÆ OBORSKI

Virtute, Doctrina, Genere,
Viro illustri:

Ob eximium diuini cultus propagandi

Z E L V M,

Et disciplinæ Ecclesiasticæ conseruandæ
studium singulare,

A PETRO TYLICKI VIRO GRAVISSIMO

Cracouiensium Illustrissimo Præsule,

In socium laborum adscito;

Et post longam

Et constantem tanti honoris & dignitatis

Fugam

Tandem ab eodem

In Laodicensem Episcopum

Ritu solenni


Feliciter consecrato.

C. C. D. A.

Suo veteri sodali


Pignus amoris.





EMBLEMA.

Hercules pro Atlante cælum sustinet.






Fama vetus perhibet validis Atlanta lacertis
Sidereas quondam sustinuisse domos:
Ægra senescenti sed enim cum genuâ labarent,
Sarcina nec cælum iam satis apta foret:
Amphitryoniadem monitum iuuisse, molesto
Ceruicemq; oneri supposuisse ferunt.
Non aliter, si vera licet componere fictis,
PRAESVL PETRE tibi prospicis auxilium.
Non aliter collega tibi, quæsitus O B O R S K I
Ponderis in partem, subsidiumq; venit.
Tempus edax minuit vires, Prouincia Craci
Sarcina ceruici, iam minus apta tuæ.
Maior Atlante quidem cælo grauiora tulisti
Indefessus adhuc munera, PETRE tua.
Et ferres, animi si corpus viribus esset
Non impar, illum & par, sequeretur adhuc.
Idcirco mitrà, lituoq; insignis O B O R S K I
Herculis Atlanti, lectus ad instar erit.
Ille bonus tantum, doctusq; potensq; subire,
Dignior Alcides, quem sibi vellet Atlas:

A iij

Id





Id spondet pietas, geminūq; id laurea juris,
Nobilis & spondet, stemma, columna domus.

De fuga dignitatis oblatae.

Ponē sequens te sanctus honos dū prendere tentat,
Virtutiq; tuæ deproperare decus:
Tu fugis, & fragiles doctus contemnere mitras
Prensantem metuis, nec fugiturus abis.
At cuinam tali victoria parta duello?
Vicit & hic fugiens, vicit & ille sequens.

Emblema.

Columna soli aduersa vmbra projicit.

VT solet vmbra suū comitare per omnia corpus,
Affecta virtutem, sic comitatur honor.
Aduersos aciem Phœbi qui iactat in orbes
A tergo comitans hunc solet vmbra sequi:
Mentis in æternæ fixisti lumina vultum,
Quid mirum à tergo, si comitatur honos?
In solem conuerte oculos, vtcunq; sequantur
Vmbrae, ne timeas, nil nocet vmbra sequax.

Ignis



Ignis flammam, virtus honorem parit.

DVmte quærit honor, latebras tu quære tentas,
Sed frustra: nunquam delituisse potes.
Nescia namq; tegeri se virtus splendida prodit,
Ignis vt à flammâ proditur ipse sua.

Honor virtutis, fidus Achates.



VEntosum fateor virtus conculcat honorem,
Principis arcano, corde sepulta viri.
Diuitijs animosa suis mortalia cuncta
Despicit, vna illam spes benefida fouet.
Hanc tamen in terris, etiam comprehensat, & vltro
Ambit honor, varijs sollicitatq; modis.
Teq; adeò pridem meriti sectantur honores,
Tu fugis, instat honos, spes tibi nulla fugæ.

Parænesis.


Ad Dignitatem admittendam.

ANne adeò despecta iacent, inhonoraq; honorum
Præmia, vt illa tibi certò eiuranda putaris?



Si



Si bene te noui, non te labor ipse grauauit
(Plurima namq; huius pridem argumenta dedisti)
Quo minus impositum ferres, humerisq; subires
Indefessus onus. Quænam ergo repagula tanta,
Quæ tantæ tenuère moræ? Scio: turgida prudens,
Et meritò, suspecta timebas carbasa Tiphys,
Ne tua fortè ratis populari concita vento,
In Syrtim aut scopulos rueret; quæ plurima nautis.
Æquore in infido metuenda pericula: verùm
Parce metu. Quæcunq; tibi aspirauerit aura,
Arbitrio frænare tuo potis, & potis iras
Declinare Noti, facilis modo lintea pande,
Sollicitata sacram portantia leniter Argo.
Officiosa vides, ne sortem sperne vocantem:
Curarum in PARTEM QVE veni, fessosq; laborum
Pontifici, par nobilebus curisq;, locoque
Indulge socias tollenda in pondera vires.




Votum



Votum

Pro Felici functione muneris.


HVe age, coelicolum Regnis delapsa clienti
Auxiliatrices ser pia turba manus.
Tuq; adeò tu, Diua parens, succurre merenti
Namq; tuo quondam præfuit ille choro.
Per noua nunc alijs dare cærula classibus Austros
Atq; noue Tiphys cogitur esse ratis.
Da facilem Pelagoq; viam, ventosq; ferentes,
Gaudeat inflato carbasus ipsa sinu.
Neue per obscuras, petat Acroceraunia noctes:
Ipsa rati Pollux, Castor & ipsa veni.



B

In coro-

In coronatam columnam
INSIGNE GENTIS
OBORSKI.



I.

Quæ tibi iam, PRAESVL, poterit fortuna deesse,
Eduri lapides cum tibi ferta ferant?
Marmora te fortem, victorem ferta fatentur:
Impediat superest quid, nisi mitra caput.



II.

Res mira : oblatos renuit sibi PRAESVL honores,
Pontificale decus, pontificale Pedum.
Non mira : alta columna virū erigit, altus honores
Despicit humanos, sub pedibusq̄ videt.

III.



Oppressisse alios, quem pondere cernis iniquo,
Hic tibi PRAESVL honor, dulce leuamen erit.
Namq̄ alijs fragilis, fundamen honoris arundo est,
At basis est decoris firma columna tui.

IV.

Lilia marmoreæ surgunt innixa columnæ:
Ut cælo propius nobili odore fragrent:
Non hoc naturæ pignus, debetur arti:
Virtuti messes fert etiam ipsa flix.

V.

Fama canit veteres olim coluisse laborem,
Quem comitaretur fortis honoris amor :




A tꝓ aras idèò duplici celebraſſe ſacello,
Primaꝓ virtutis, altera honoris erat:
Hoc tuus hoc ipſum clypeo deſcripſit Apelles:
Ardua ſi ſuperes, lilia deĩnde metes.
Deſinit in florem veluti tua namꝓ columna,
Sic abit eximio durus honore labor.

VI.

Omen, id eſt: multos referes virtutis honores,
Nec te magnanimum, munus onuſꝓ premet.



8109
4



5513.

8109

4

